QUOD DEUS BENE VERTAT!

COLLEGII FEUDALIS PUBLICI

DISPUTATIO QUARTA

DE

REBUS, QUÆ IN FEUDUM DARI POSSUNT.

Quam

Permissu Magnifici & Nobilißimi ICtorum in Perillustri Salanâ Ordinis

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi

Dn. ERASMI UNGEPAUR,

ICti longè Celebratissimi, Professoris hujus Academiæ Publici, Consiliarij Saxonici Gravissimi, Curiæ Provincialis, & Scabinatus Assessoris Dignissimi, Promotoris & Præceptoris sui omni, quo par est observantiæ cultu ætatem suspiciendi


IN AUDITORIO ICTORUM

Horis matutinis solitis

Ad diem Martij

defendet

ANDREAS RAMDHOR, ASCANIENSIS SAXO.



JENÆ,

Typis PHILIPPI LIPPOLDI,

ANNO M. DC. XXXVI.

THESIS I.



Cum in præcedenti disputatione de personis, quæ feudum dare vel accipere possunt, actum sit, consequens est. ut de rebus, in quibus tanquam in materia feudum consistit, eâ, qua poterit fieri, brevitate dispiciamus.

II.

Tales autem res omnes, quæ in feudum concedi possunt, in triplici sunt discrimine, quædam sunt Res Soli, quædam Solo cohærentes, quædam quæ inter immobilia connumerantur, veluti cum de Camera aut cane[illegible] feudum datur, quemadmodum innuit text. *in cap un. versic. sciendum de feud cognit. Ubi Petr. Ravenn. & Alvarot. c. un. in fin in quib9 causis feud amitt. Borcb. c. 6. de feud. Schrad. p. 3. c. 2. n. 1. Wesenb. de feud. c. 7. n. 1. Vult. l. 1. c. 5. n. 4.* de quibus separatim agemus.

III.

Et quidem primo loco Res Soli, quæ immobiles vocantur, *in l. 1. §. 1. de Rei Vind. l. 7. §. 1. de Usufr. l. 1. de Condict. tritici:* & loco moveri non possunt *arg. l. cum fundus 21. ff. de Instruct. & Instrum. legat.* liegende Gründe sine dubio in feudum conceduntur. E quarũ censu sunt fundus, ager, area & hortus *l. si area 73. de Usufr. l. 5. §. 2. & 3. l. 8 cum seqq. quibus mod. ususfr. amitt.* Item Secturæ auri, argenti, ferri, plumbi, & cæterorum metallorum, itemq; lapidis, calcis, arenæ, picis, cretæ, sulphuris *l. itẽ si § 2. l. si cuius 13. § 5. de Usufr.* quæ ideò in feudum dãtur, quod sui naturâ perpetuæ sint, & usui esse possint, salvâ earum substantiâ *Magnif & Nobiliss. Dn. D. Arum. Ordin. Jurid. facult. meritiss promotor. & praeceptor. meus debito honoris cultu aviternum prosequendus disput. feud. 4. th. 2.*

IV.

Ratio, cur in immobilibus tantùm feudum constituatur, duplex dari potest, primò quia feudum naturâ suâ perpetuum est, ut etiam ad Vasalli descendentes & agnatos pertineat *2. feud. 23.* Deinde quia feudum ita debet dari, ut proprietas penes conferentem remaneat, Ususfructus vero ad accipientem

feat.arg.tit.ff.de Usufr.ear.rer quæ usu cõsum. & *§.cõstituitur J.de Usufr.Wesenb.c.6.n.32,Rittershus l.1.c.7.q.2.Schneidw.p.2.n.16.*

V.

Hæ duæ rationes cum in res mobiles non cadant, consequens est, nec eas feudi objectum sive materiam esse posse, sive etiam sint fungibiles, sive non fungibiles. Et licet fungibilium usus esse possit, salvâ substantiâ, ut pecudum, non tamẽ perpetuo durant, sed paulatim earum substantia fit deterior *l. si in rem mobilem 47.de acquir.poss.* Nec interest, quod quædam feuda sint temporalia, siquidem non quod rarò, sed quod frequentius fit, in ll. & cõsuetudinibus observatur *Wesenb.c.7.n.8.*

VI.

Nec etiam in non fungibilibus, puta pecunia numerata, feudum consistit propter facilem ipsius consumptionem & immixtionem, re autem consumptâ feudum extinguitur, nec proprietas penes Dominum remanet. Si autem Vasallus in arca eam custodire velit, nullò quidem modo consumi dicitur, sed salva & incolumis manet, nihil tamen utilitatis ad ipsum redundat, quod adversatur naturę feudi, quod ut beneficium, cõmoda præstare debet. *c.un in fin.ex quibus causis feud amitt.*

VII.

Scrupulum hic non injicit, quod feudum Soldatæ, vel de camera & Cavena in solidorũ donatione, sive vino & frumento consistat, *c.un.in fin.quis dicatur dux &c.* Ibi enim pecunia & frumentum non consideratur ut substantia feudi, sed ut fructus, qui quotannis ex Camera & Cavena Domini quasi fundo præstantur. *Borcholt.c.6.n.34.* Minus negotij facessit *text. 2. feud.25.* Ubi illa verba *nummos in feudum dandos* nõ indigitant feudum in pecunia consistere posse, sed loco feudi per tertiũ evicti Dominum cogi Vasallo, nummos numerare, pro quibꝰ rem soli coemat, quæ in feudum postea recognosci possit. *Glos. & Dd.ibi ad c.un.in Verbo dandos. Schurf. cons. 11. cent.1.n.2. Schneid.feud.p.2.n.21.*

VIII.

Hic quæstio oritur valdè controversa: An non cautionis remedio intercedente in rebus mobilibus feudum constitui

possit?

possit? Negamus, propterea, quod cautio illa non efficit, ut res mobiles jure immobilium conseantur, quas tamen præcise jus feudale desiderat *c.un.de feud.cognit.* & etiam contra naturam feudi, ut simul proprietas rei in feudum datæ in Vasallum transeat *2.feud.23.* Neq; hoc casu cautio fictione Juris proprietatis locũ supplet, sicut in Usufructu §.2.*J de Usufr.* Quod enim ibi cautio in locum proprietatis succedit, id non tam cautio quam SenatusConsultum facit, de feudali autem usufructu nullum tale decretum extat, quin potius contrarium evidẽter decisum *c.un.in fin.in quibus mod.feud.amitt.* & nõ tantum de feudo proprio sed & improprio hoc asserim9. *Magnif. Dn. Arum.disp.feud.4.th.3. Andr.de Isern.c.un si d feud. Vasall. ab aliquo interp. Schrad p.3.c.1.n.7.* Diss. *Jacob. de Ardiz.in Epit:feud. c.27. Mozz.de feud.c.4.n.17. Math.de afflict.n.28.de feud. cognit. Hotom.ad c.un.si de feud.Vasall. Z. Blanc.6.n.8. Et Novissimè Fin. Kelxb.disp.1.feud.cõtrover.3.disp.3.cõtr.9.& disp.2.controv.25.lit.d.*

IX.

Imo Juramentum fidelitatis præstitum non eam efficaciam pecuniæ communicat, ut pro feudo habeatur, quoniam non feudum censendum, quod est contra Juris feudalis Regulas, nec pro innominato aliquo contractu, quoniam partes, contrahentes non alium contractum celebrarunt, sed feudum constituere voluerunt, ut ex juramento apparet, quod jurantem non obligat, cum sit super re impossibili de jure & natura interpositum, cujus nulla obligatio, *§.impossibilis J.de Inutil.stipulat.l.31.de O. & A.* Igitur. Domino qui alteri hanc rem in feudum dedit, permittitur eam condictione ob causam vel sine causa repetere *l.1.de Condict.sin.causa l.si me & Titium ff.si certum petatur And. de Isern. c.13.si Vasall.de aliq. interp.n.3. Alvarott.n.6. Math.de afflict. c. un. si de feud. Vasall. ab aliq. interp. n. 14.*

X.

Quod verum est, quando Dominus dans pecuniam credidit in ea feudum constitui posse, alioquin si sciens, non valere dederit, nulla ejus datur repetitio, sed rem Vasallo donasse videtur *And.de Isern.in d.cap.1 si Vasall.de feud. interp. n. 3.* Sin vero is, cui pecunia in feudum est concessa, velit Domino

tan-

tanquam Vasallus, servitia & fidelitatem exhibere, Dominus eam repetere non potest *Matth. de afflict. c. un. §. Vasall. de feud. n. 29.* quia favore atq; gratia Vasalli introductum est, ne ipse, re mobili in feudum data, obligetur. Unde huic favori renúciare potest, & efficere, ut vasallus hujus feudi censeatur, *Schrad. p. 3. c. 1. n. 12.*

XI.

Pecunia quoq; ex feudo distracto redacta feudalis non est, ob textum manifestum *in c. un. si de feud. def. content. sit inter. & c. vers. si vasallus de beneficio* Ubi id, quod ex transactione pro feudo quis accipit, feudum esse negatur. facit etiam, quod pecunia ex feudo redacta nihilominus sit res mobilis & consequenter ad feudum inhabilis. *c. un in quibus mod. feud amitt. Magnif. Dn. Arum. disp. feud. 4. th. 5. Schurff. consil 22. n 2 cent. 3. Köppen. decis. 18.* Dissent *Angelus & Goeden consil. 48 n. 29.* Erit tamen feudalis, si inter vendentem & agnatum talis pactio inita sit, quod pecunia ex feudo redacta in feudum reducatur.

XII.

Ita demum tamen res soli in feudum rectè veniunt, si sint commerciales, nec vel legis vel hominis dispositione alienari prohibeantur; cum omnis in feudum concessio species sit alienationis *c. un. §. sed etiam per quos fiat invest.* Legis autẽ dispositione commercio sunt exemptæ res religiosæ, sacræ *§. sacræ. J. de R. D. §. res sacræ J. de Inut. stipulat. l. 6. de Contrah. empt.* quæ in feudum non dantur nisi alijs rebus profanis in feudum datis accesserint, quo casu in consequentiam valet earum infeudatio *arg l. hanc legem cum seq ff de contrah. empt*, quæ enim per se fieri non possunt, in consequentiam alterius rei, cui accedunt, permittũtur. *l. quoties C. de Jud. l. si quis nec causam ff. si cert. pet Vult c. 5. n. 12. Borch. c. 6. n 9 Rosenth. c. 4. concl. 13. Rittersh. l. 1. c. 7 q. 8.*

XIII.

Idem est, si illius rei non nisi cum maxima difficultate in commune commercium sit, qualis est fundus cæsaris *l idem Julianus. 46. §. fin. & ibi Bart. & Ias ff de legat 1.* vel si hujus quidẽ in commune commercium sit, sed vasallus hujus rei incapax sit. Hæ res in feudum dari non possunt & si datæ fuerint, concessio illa ipso jure nulla est, nec Dominus Vasallo hujus rei

nomine

nomine ad interesse sive æstimationem præstandam obligatus est. §.1. ibiq; gloss. l. de Inutil. stip. l. 34. ibi. Bart. & Ias. ff. de V. O. si vero vasallus hujus rei capax, non autem Dominus, investitura facta de hac re valet, & Dominus vasallo ad æstimationem præstandam, ac in aliud feudum convertendum obligatus est. d. l. 34. de V. O. Schrad. p. 3. c. 1. n. 3 & 4.

XIV.

A rebus sacris distinguuntur Ecclesiasticæ, quæ omnes in feudum veniũt, modo persona, â qua fit infeudatio, antiquitus in feudum concedendi potestatem habuerit & solemnia alienationis adhibeantur c. un. de Cler. qui invest. fac. c. un. Epis. vp. vel Abbat vel Abbatiß c. un. de his qui feud. dare vel acc. & c. 91. in Extraord. dummodo Ecclesiæ hoc expediat c. un. vers. a prælat. de Investit. vet. vel nov. benef. c. 2. Extr. de feud. Magnif. Dn. D. Arum. diß. feud. 4. th. ult.

XV.

Tituli vero constitutione Urbani II. excepti fuere, qui post cap. un. Episcop. vel Abbat &c. in feudum dari amplius non possunt. Res vero cæteras Ecclesiasticas præter titulos post illam constitutionem dari in feudum potuisse, argumento est concilium Lateranense quod ducentis ferme annis post illam Urbani constitutionem celebratum est; in quo concilio nullæ aliæ res Ecclesiasticæ in feudum dari sunt prohibitæ, præter decimas & primitias. Non igitur aliarum rerum divinarum aut Ecclesiasticarum, quam harum trium specierum in feudatio est prohibita, adeoq; non rectè interpretes, & illos secuti pragmatici ea, quæ singulariter erant constituta, ad consequentiam produxerunt, Vult. in feud. c. 5, n. 14.

XVI.

Decimas in feudum concedi non posse probatur ex c. adhæc e fin. Extra de decimis. Ubi simpliciter prohibetur concessio decimarum laicis facta, attamen distinctio temporis adhibenda, ut scilicet laicus de decimis, quas ante concilium Lateranense Romæ habitum ab Ecclesia accepit, jure alium sub investire possit, illud jus enim quæsitum laicis Pontifex non potest adimere, eæ vero decimæ, quæ ante illud concilium non

da-

datæ, non possint ulli in feudum concedi *c. cum Apostolica Extra d. his quæ fiunt à prælatis Zas. p 4. n. 24. Rittershus. l. 1. c. 7. q. 11.*

XVII.

Quæ cum sic se habeant, dubitatum est: An hujusmodi decimæ ad Ecclesiam reversæ rursum infeudari possint? Placet Affirmativa, cùm, Quia Lateranense concilium Romæ habitum rein feudationem non interdixit. *Duar c. 5. n. 7. & seqq.* tùm quia reversæ decimæ non statim pristinam suam naturam cōsecutæ sunt. *Alvarott. in c. un de his qui feud. dar. & Vult. c. 5 n. 13. Goedd. disp. feud. 5. th. 5* Idq; observari videmꝰ in Gallia & Germania. Dissent. *Mozz c. 4 n. 19. Zas. part. 4. n. 25. Rittersh. l. 1. c. 7. q. 11.*

XVIII.

Privatorum commercio exemptæ sunt res Publicæ, quæ publicis usibus cōsecratæ sunt, ut Campus Martius, Theatra, quæ in feudum dari prohibentur *arg. l. 6. p. 7. Contr. empt. §. 2. J. de Inutilib. stipulat.* Res litigiosæ. *l. 2. l fin. C. de litig.* fundꝰ dotalis *l. 1. §. & cum lex C. de Rei Uxor. act.* Item bona filij adventitia, in quibus pater Usumfructum habet *l. 1. C. de bon. mater. l. fin. §. filij autem C. de bon quæ liber.* & deniq; res fidei commissariæ restitutioni obnoxiæ *l. fin. §. sed quia 2. cum auth. quæ res C. commun. de legat.*

XIX.

Hominis dispositione commercio exemptæ sunt res, quæ vel à testatore transferri vetitæ sunt *l. fin. C. de Reb. alien. l. 114. §. 4. de legat. 1.* cujus voluntas habenda pro lege *Novell. 22. Borch. c. 6. n. 10. Schneidw p. 2. n. 17.* vel pactione Contrahentium *l. 77. §. 27. ff. de legat. 2. Sonsb. p. 8. n. 16.* ideoq; in feudum nō concedendæ. Res autem communis in feudum datur *c. un. §. item sciendum de not. feud.* Ubi Vasallus investitus potest eum, quo cum rem communem habet, forte reluctantem & dividere nolentem cogere per judicem, ut dividat, quia res communis pro indiviso potest quovis modo per socium alienari etiam reliquis inconsultis *l. 12. C. de donat.* Nisi jam divisio judicio postulata sit, quo casu cæteris ejusdem rei dominis invitis alienatio prohibita est *l. 1. C. comm divid. l. 13. & 14 ff. famil. hercisc. Wesenb c. 7. n. 7 Rittersb. l. 1. c. 7. q. 19.*

XX.

Quin & res aliena sicut propter libertatem commercio-

rum

rum vendi poteſt, *l.44.ff.de Uſurp.& Uſucap.l.29. de contr. empt.* ita in feudum rectè conceditur *c.un.de Inveſtit.de re alien. fact. s. Vn. ſi de feud. Vaſall. ab aliq. interp.* Eo vero caſu Vaſallus re evicta actionem habet contra ſeniorem, ut vel aliud ejuſdem æſtimationis, bonitatis, & quantitatis, cujus fuit tempore rei judicatæ illud, quod evictum eſt, reſtituat vel litis æſtimationē præſtet. *c.8.feud.2.* Niſi tamen ſciens Vaſallus rem alienam acceperit, neq; pacto evictionis ſibi proſpexerit, hoc enim caſu ſcienti nō præſtatur evictio, ſicut nec emptori *l.27. C. de Evict. Magnif.Dn.Arum.diſp.4.th.26.Weſenb.C.7.n.7.Sonsb.p.8.n.33. Rittersh l.1.c.7.q.14.* Si res propria fuerit accipientis, (denn es kan einer gar wol dem andern ſein Eigenthumb aufftragen/ vñ zum Lehen machen) hujus feudum ſub conditione tantum cōſtituitur *l.61.de Contrah.empt.l.31.Ubi Don.de V.O.*

XXI.

Deinde Obertus ait *d. verſic Sciendum* feudum conſiſtere in Rebus ſolo cohærentibus, quæ rei fixæ vel immobili ita accedunt, ut ejus pars eſſe cenſeantur, in qua cum idem jus ſtatuatur, quod in re principali, *l.76.ff.de R.J.* conſequens eſt, fructus pendētes, qui pars fundi ſunt *l.44.de Rei Vind.* imò ſolo cohærent *l.13.§.10.ff.de eſt empt.l.fin.§.6.quæ in fraud.cred.* recte in feudum concedi *Magnif.Dn.Arum.diſp feud.4.th.7.Zaſ.p.4.n.4.Schneid.p.2.n.32.Borch.c.6.n.11.* Diſſent. *Niell. diſput. feud.3.th.1.* cujus diſtinctionem non approbamus.

XXII.

Huc referuntur ædificia, quæ in Jure Solo cohærere dicuntur, *l.1.§.2.ff.de Vi & Vi armat.l.10.quod vi aut clam.* Iis vero infeudum datis ſimul infeudum veniunt, quæ illis affixa ſunt *l.Julianus 13.§.ult.cum ſeq. de act. empt.* & quæ perpetuæ ædiū utilitati deſerviunt, ut ſunt claves, ſeræ, clauſtra *l.fundum 17 ff. de act.empt.l.cætera 43.§.hoc Senatus Conſultum ff.de legat.1. Obrecht.diſp.feud.5.c.3.n.152.Schrad.p.3.c.4.n.2.*

XXIII.

Quæ adeo vera ſunt, ut incrementa fundi feudalis ad Vaſallum tranſeant, *c.un.§.ſi quis de manſo ſi de inveſtit. controverſ. Sonsb.p.10.n.6.* ſicuti etiam dato infeudum fundo, jura quæ ei

 cohæ-

cohærent, data censentur, quia cujusve rei translatio cum sua causa & onere fieri intelligitur *l. 67. de Contr. empt.* Cujusmodi sunt servitutes reales *l. via. 23. §. 2. & 3 de Servit. rustic. præd l. 12. ff. comm. præd. l. 47 de Contr. empt.* quæ sunt onera & commoda ipsius prædij, modo dentur in concreto vel accessoriè id est, cum fundo, cui debentur, non vero in abstracto sine fundo, debentur enim prædio, à quo non separantur *d. l. 23. de servit præd. rust.* nec ijs ad alterius, quam ipsius fundi, cui constitutæ sunt, commoditatem uti possumus *l. ergo 5. de serv. præd. rustic. Rosenth. c. 4. concl. 2. Schrad. p. 3. c. 4. Vult c. 5. n. 4.*

XXIV.

Sic castro in feudum concesso, bombardæ, balistæ, tormenta bellica, & similia, quæ perpetua destinatione ad defendendum castrum ibi posita sunt, nisi nominatim excipiantur, in feudum concessa intelliguntur, *c. un. si de Investit. controvers. fuer. Borch. c. 6. n. 2.* Idem est judicium de omnibus, quæ ad instructionem fundi feudalis pertinent, ut equi, vaccæ boves, & alia animalia, quæ ad colendum & impinguendum fundũ requiruntur *arg. l. 17. §. Labeo 7. ff. de act. empt. Schrad p. 3. c. 1. num. 19. & seq.*

XXV.

Concesso quoq; castro in feudum Jurisdictio, & cum ea Imperium tam merum quam mixtum, castro cohærens, translata censetur, quoniam concesso principali censentur concessa omnia accessoria, eiq; cohærentia, & capiti tanquam digniori cætera membra subalternantur *l. 44. de religios. & sumpt. funer. l. inter eos. 29. de A. R. D. Vult. 1. feud. 5. n. 5.* Non refragatur, quod merum nominatim & specialiter tribui debeat *l. 1. de offic. ejus cui mand.* Nã & hoc casu specialiter dicitur constitutũ, cum non debeatur personæ sed castro, unde licet ad possessorem castri transeat, tamen hoc non fit principaliter & per se, sed tantum per consequentiam, nempe propter castrum, quod jam possidet, quemadmodum de servitute fundo constituta traditur *l. traditio 20. §. 1. de Acquir. rer. domin. Goeden. Consil. 109. n. 57. Wes. cons. 32. n. 3. & 95. n. 28.* deinde satis est ab initio merum imperium possessori hujus castri specialiter & nominatim tributum fuisse, unde ab eo una cũ castro ad ali-

os;

os successores absq; nova concessione transit *Scip. Gentil. de Jurisd.14.*

XXVI.

Si non cohæreat castro vel rei in feudum concessæ, verius est, nullam cum côcessione in Vasallum Jurisdictionem, multominus merum aut mixtum Imperium transire. *Borch. c.6.n. 35.Schneid.p.2.n.57.* In his tamen & similibus casibus expeditissimum fuerit, tenorem investituræ vel factæ concessionis diligenter inspicere, ex quo omnis difficultas facillimè poterit submoveri.

XXVII.

Sylvâ sive vinêa in feudum datâ arbores & vites simul datæ intelliguntur; & solum ipsum *arg.eor.quæ tradit Jas.ad l.1.n. 100.C.de Jur.Emphyteut.* adeò ut arboribus penitus extirpatis, vasallus solum retineat, *Schrad.p.3.c.4.n.15.* Non tamē potest arbores grandes vel fructiferas incidere, *l.sed etsi grandes 11. de Usufr.* quia hoc modo rem deteriorem faceret *l.7. §, si fundum 12.ff.soluto matrim.* Quod ei non licet *c.1.§.quid ergo §·e contrario de Investit de re alien.fact.* tenetur enim instar Vsufructuarij boni viri arbitratu re uti, non abuti *C.Frideric. §.quicunq; advocatiam de pace tenend.junct. l.13.§.1.de Usufr.Gail.observ.67. n.7.* Veniunt autem cum sylva in feudum feræ, & cum stagno pisces, dummodo propagationis & perpetuitatis non custodiæ aut quotidiani usus causa ibi habeātur *l.3.§.14.ff.de acquir.poss. l.15.de act.empt.Guid.Papæ decis.91.Zas.p.4.n.3.*

XXVIII.

Quibus computamus molendina immobiliter terris infixa, quæ, cum solo cohæreant, & pro immobilibus habeantur *l.1.§.plane si quis 8.ff.de Vi & vi armat.* in feudū recte côcedūtur. Secus est, si instar navium super flumina meant, & veluti ambulant, (Schiffmühlen) ea enim cum solo infixa non sint, ad res mobiles sicuti naves referūtur *l.1.§.si quis 7.ff.de Vi & Vi arm.* adeoq; in feudum dari nequeunt *c. un. in fin. in quibus causis feud.amitt. Magnif. Dn. Arum. disp. feud. 4.th.8.Borch.c. 6.n.11. Mozz. n.8.* Dissent *Francisc.Curt. Jun. in p. 1. q.6.n.11.Goedd.disp. feud.5.th.7.lit.C.*

XXIX.

Nisi fuerint molendina ejusmodi, in quibus Dominus vicinos, ut molant, cogere potest. Welches man nēñet Zwangmühlen

mühlen/dahin die Leute gezwungen werden zu mahlen / tunc n. propter jus illud, quod Domino competit, immobilium Jure censentur *Rosenth.c.4.concl.4.n.2.* Molendina pneumatica seu vento agitata referri volumus ad res immobiles *arg. l.18. de act. empt.* Licet enim ventus partem eorum agitet superiorem, fundamentum tamen, quod præcipuè considerandum, propter stipites in terra defossos fixum manet, & immobile. Secus si de loco in locum, moveri possint Windmühlen/die man anderswohin setzen kan. *Rosenth. concl. 4. n. 1. Ludwell. in synops. feud. c. 12.*

XXX.

Deniq; feudum secundum Obertum consistit In rebus, quæ inter immobilia connumerantur, veluti cum de Camera & cavena feudum datur *c. un. vers. sciendum de feudi cognit.* Ex camera feudum est, quādo princeps ex ærario suo alicui quotannis feudi nomine certam pecuniæ summam cōfert. Cammerlehnen oder mangelt/wennn ein Fürst einem Edelman etliche Gulden aus seiner Kam̃er zureichen zu einem rechten Manlehen verschreibet. Ex Cavena est, quando oleum, vinum vel frumentum aut simile quid ex penu, horreo, cella alicui feudi nomine annuatim præstatur. *Henning. Goeden. Consil. 11. de success ab intest. Borcholt. c.6.n.13. Jacob. de Alvaretz. in proœm. feud. divis. 17.*

XXXI.

Ex communi autem juris feudalis observantia constituitur de Camera vel Cavena feudum non minus proprium seu rectum, ut quodlibet aliud in se immobili, ita ut substantiæ loco sit jus illud dominij, cujus vigore Dominus concedit, Ususfructus vero factum percipiendi, quod ex Domini jure resultat *c.un. vers. sciendum, de feud. cognit. Magn. Dn. Arum. disp. 4. th. 9. Schneidw. p. 2. n. 24.* Dissent. *Hotom. disp. feud. c. 15.*

XXXII.

His accensemus annuos reditus, qui rectè in feudum dantur tum per text. express. *in cap. Un. de Controvers. inter Episc. & Vasall.* tum quia naturam rerum immobilium sequuntur *l. ult. §. præterea C. de Jur. dot. l. jubemus nulli in pr. & ibi gloss. in vocab.* anno.

annonar. c. de SS. Eccles. Cujus quoq; sententiæ conservandæ gratia solet adduci textus *in Clemētina exivi de paradiso §. cumq; annui reditus de V. S.*

XXXIII.

Quod procedit indifferenter non tantum, si à re immobili pensio solvatur, sed etiam si constituatur super re aliqua mobili, veluti negotiatione, puta frumentaria, pannaria, ferraria, aut loco aliquo commercij, ut si ad mensam nummularij pecuniam pro quæstu poneres, hunc quæstum in feudū dare potes, vel etiam si debeantur ex societate aliqua, quæ rei immobilis vicem præstet. *And. de Isernia c. un. n. 2. si de feud. ab aliquo interp. Hanneto l. 1 feud c 4. Mozz. sub rubr. de rebus quæ in feud. &c. n. 7. Sonsbec. p. 8. n. 29. Curt p. 1. q. 6. n. 10. Schrad. p. 3. c. 3. n. 2.*

XXXIV.

Idq; locum habere notabiliter limitamus, quando sunt annui reditus perpetui vel longo tempore duraturi, tūc enim in feudum veniunt, non quidem ut pecunia rediens sit feudū, sed jus eam annuatim percipiendi, pensiones vero ad tempus modicum constitutas rebus mobilibus connumerandas existimamus *Schenck. ad c. un. de feud. cognit. n. 3. Magnif. Dn. Arum. disp. feud. 4 th. 23. Niell. disp. feud. 3. th. 2. Borcholt. c. 6. n. 15. Schneid. p. 2. n. 38. Gail. lib. 2. Observ. 10.* Excludimus hic reditus ex quæstu turpi seu negotiatione illicita obvenientes, ut si ex lupanari vel ex mensa evidenter usuraria, feudum constitueretur, *arg. eorum*, quæ de mandato, societate & stipulatione habentur *in l. 6. § rei turpis ff. mand l. 35. §. veneni mali ff. de contrah. empt l. 35. ff pro socio l. generaliter 26. de V. O. Schrad. p. 3. c. 3. n. 7. Rittersh. l. 1. c. 7 q. 6 Zas. p. 4. n 14.* Dissentit *And. de Isern in c. 1. n. 2. Si Vasall. de feud. interpell.* qui putat etiam turpes & inhonestos reditus in feudum accipi posse.

XXXV.

Hoc amplius actiones, quæ pro rebus immobilibus competunt, inter immobilia computantur, eoq; in feudum concedi possunt, quoniam is qui actionem habet ad rem recuperandam rem ipsam habere videtur *l. 15. qui actionem de R. J.* & id apud se quisq; habere videtur, de quo habet actionem, ha-

ſbet enim quod peti poteſt. *l. id apud. de V.S l. rem in bonis 52. de Acquir. Rer. Domin.* Si vero actiones pro rebus mobilibus competant, annumerantur etiam mobilibus, & conſequenter ad feudum ſunt inhabiles, quam diſtinctionem in Camera eſſe receptam atteſtatur *Gail. 2. Obſerv. 11. n. 10. quem refert. & ſequitur Colerus in tract. de proceſſ. executiv. p. 1. c. 3. n. 237. cū ſeq. Hartm. Piſt. 1. q. 26.* Eo autem caſu, quo ad rem mobilem actio competit, actio directa, quæ penes Dominum remanet, erit loco proprietatis, Utilis verò locum Uſusfructus feudalis, qui ad vaſallum tranſit, obtinebit *Curt p. 1. q. 6. n. 10. & Setſerus. th. 30.* quod ita admittimus, ſi actio cauſam ſucceſſivam exercitiumq; remeans habeat cum *Magnif. Dn. D. Arumæo diſput. feud. 4. th. 24.*

XXXVI.

Quo tandem referri volumus Jurisdictionem & imperium, quæ tanquam Jura in corporalia rebus immobilibus accenſentur, adeoq; in feudum rectiſſimè dantur. Sed conceſſa in feudum Jurisdictione ſimpliciter, ut ſi princeps dicat, wir belehnen jhnen mit dem Gerichte/ veriſſimum eſt, non merum, ſed tantum Jurisdictionem ſimplicem ſive in ſpecie ſic dictā & mixtum Imperium in dubio conceſſum intelligi *Jas in l. imperium 3. n. 11. de Iurisd.* quia merum imperium ſpeciali jure & nominatim concedi debet, mit außgedruckten Worten/ *l. 1. pr. de offic. ejus cui mand. Idictio.*

XXXVII.

Non attendimus, quod Vocabulum Jurisdictionis non modo Jurisdictionem in ſpecie ſic dictam ſed etiam imperium tam merum quam mixtum ſub ſe complectatur *arg. l. 1. de offic. eius cui mand. l ſi aliam 7. §. fin & l. ſeq. de off. proconſ. Donell. 17. cōm. c. 16.* Quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſpecialiter concedi ſolent *l. 39. de act. empt. 12. quæ in fraud cred. l. 46. de pecul. l. 16. de pignor. c. in generali 81. de R. J. in 6.* fallitq; Regula poſito genere ponitur ſpecies, ubi diverſa ratio ſpeciei, velut in mero Imperio, quod mandata Jurisdictione non tranſit, non quod non hac contineatur, ſed nominatim & ſpeciatim lege, Senatus Cſoulto & c. tribuatur. *d. l. 1. de offic. ejus & Obrecht. de Iurisdict. c. 2. n. 13.*

Con-

Concessam autem in feudum Jurisdictionem non cumulativè, sed addicative sive privativè, salvo tamen superioritatis & recognitionis jure transire statuimus 1. quia beneficia principum latissimè sunt intelligenda *l. beneficia. Ubi Iason. n.19.25.& 31. ff. de Constitut. princip.* 2. Quia imputandum est investitori, qui legem contractus non scripsit apertius, adeoq; contra ipsum fit interpretatio *l. Veteribus 29. de pactis l. fin. C. de dat. promiss.* 3. Quia si aliud diceretur, sequeretur ex hoc confusio, & turbatio Jurisdictionum contra *l. consulta 23. C. de testib. Roland. Consil. 48. n. 25. Coler. de process. executiv. p. 2. c. 1. n. 126. Wesenb. de Jurisd. Consil. 95. n. 57. Schurff. Consil. 26.*

COROLLARIA 4. EX JURE CANONICO DESUMPTA.

I.



ETsi de Jure civili imperium merum privato competere potest, *l. 1. pr ibi cum magistratus &c. & §. 1. ibi Judex ve ff ad L. Cornel. de sicar. l. 32. ibi vel Judex ff. de poenis*, cum lex privato id delegare queat *l. 131. §. fin. ff de V. S.* hoc tamen Jure Canonico secus est, quo illis, qui nulla dignitate fulgent, causæ expediendæ non delegantur *c. statutum 11. pr. de Rescript. in 6. Scipt. Gentil. 2. de Idict. 13. Hillig. D. E. 17. comm. 8. l. N. Math. stephan. 1. de Idict. 17. n. 11.*

2.

De Jure Canonico constitutum est, ut judex à principe datus exequendi judicati jus habeat *arg c. 7. c. 26. c. 28 §. quia vero c 29. Extr. de off. & potestat. de legat.* Sicut & de Jure civili, exequi potest, cum habeat Jurisdictionem *arg. C. Quę Vn pro sua Idict.* & executores *l. 5 in fin. princip. C. de fruct. & lit. expens. Bachov. ad π. c. de mandat. Idict. n. 22.*

3.

Jure Canonico non est receptum, ut divisio bonorum relin-

relinquatur majori natu, electio minori. Nec refragatur Exemplum Abrahami & Lothi *Gen. 13. v. 8. & seqq.*, Cum ibi modestia Abrahami ad Juris necessitatem & hereditatis divisionem trahi non debeat. Neq; etiam Obstat *c. 1. de paroch.* cum illud agat de casu planè diverso *Magnificus & Nobiliss. Dn. D. Arum. Prom. & praecept. meus omni observantiæ cultu semper prosequendus disp. pandect. 10. th. 12. Bachov. ad Treutl. Volum. 1. disputat. 19. th. 10. lit. B.* Dissent. *Wesenb. in π. famil. hereisc. n. 6.* Usu tamen & totius Germaniæ consuetudine, quæ etiam in Camera recepta, contrariam opinionem, servari testatur cum *Wesenb. Mynsing. cent. 4. Observ. 37. Gail. 2. Observ. 116. n. 14.* quod & Jure Saxonico obtinet inter duos fratres da sol der Elteste theilen vnd der Jüngste kiesen. Landrecht *lib. 3. art. 29.*

4.

Mulierem de Jure Civili posse esse testem in criminalibus verum est, argumento firmiter ducto *ex l. 20. §. 6. ff. qui testam facere possunt!* De Jure Canonico plurimi negativam tenent moti *c. forus X. de V. S. c. mulierem caus. 33. q. 5. c. ex eo caus. 15. q. 3.* Verum his non obstantibus affirmativam tueri tutius arbitramur, quia expresse contrarium illo jure reperitur in *c. quoniam 3. X. de testib.* dictaq; capita generaliter & longè de alijs disponunt ca sibus, ideoq; huc restringi nequaquam possunt. *Decius ad l. 2. de R, J. n. 34. Bachov. ad Teutl. Volum. 2. disput. 5. th. 8. lit. E.*

DEO SIT LAUS ET GLORIA

in sempiterna secula.

